

ex pacto inter administratores Principatus Ducemque exercitus Gallorum ad Nanceam a. 1633. constituto, annoque 1644. Lutetiae Parisiorum repetito, miles Regis praefidiarius in urbe Montisbeligardi aequae ac in reliquis Dynastiatarum propugnaculis receptus est, dum miles Hispanus Dynastiae Clerval et Passavant potitus erat.

In pacificatione Westphalica „Principes  
 „quidem Wirtembergici lineae etiam Mom-  
 „pelgardensis in omnes suas ditiones in Al-  
 „satia et ubicunque sitas, et nominatim in  
 „duo feuda Burgundica Clerval et Passavant,  
 „ac in specie ad eam immedietatem erga  
 „R. Imperium restituti sunt, qua ante ini-  
 „tium - bellorum gavisi erant, et qua ceteri  
 „I. Principes ac Status gaudent vel gaudere  
 „debent.“

Verum enim vero Rex Galliae, bello a. 1672. cum Batavis Germanisque renovato, a. 1676. Comitatum Montisbeligardensem denuo occupavit: quin etiam post pacem Neomagensem, qua Pax Westphalica in omnibus singulisque punctis confirmata est, diu usurpavit. Posteaquam enim Comitatus Burgundicus in hac ipsa pacificatione Neomagensi ab Hispanis Regi Galliae cessus erat, primum quatuor Dynastiae Blamont, Clemont, Hericourt et Chatelot ex sententia supremi senatus Vefuntini d. 4. Sept. 1679. Comiti Ferdinando Francisco